

ANATOMICÆ
DE FEBRI PUERPERALI QUÆSTIONES.

**DISSERTATIO INAUGU-
RALIS**

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA

UNIVERSITATE LITTERARIA TURICENSI

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES RITE SIBI
CONCEDANTUR

DIE XXI. JUNII ANN. MDCCCXXXIV.

PUBLICÆ DEFENSURUS EST

AUCTOR

Gustavus Adolphus Lutz
CAMPODUNENSIS.

STAEFAE
TYPIS LEUTHIANIS.

THE UNITED STATES OF AMERICA

DEPARTMENT OF THE INTERIOR
BUREAU OF LANDS

1890

SECTION OF LANDS

OFFICE OF THE REGISTER

AND CLERK

WASHINGTON, D. C.

1890

THE UNITED STATES OF AMERICA
DEPARTMENT OF THE INTERIOR

BUREAU OF LANDS

OFFICE OF THE REGISTER

AND CLERK

WASHINGTON, D. C.

1890

1890

AVUNCULO

DILECTISSIMO ATQUE OPTIME DE ME MERITO

D. J. GEORGIO GRONEN,

MEDICINÆ ET CHIRURGICÆ DOCTORI.

HASCE LITTERARUM PRIMITAS

GRATA PIAQUE MENTE CONSECRAT.

AUCTOR.

AVANCE

DIRECTISSIMO ATQUE OPTIMO DE ME MERITO

D. J. GEORGIO GROVER

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTOR

HABSE LITTERARUM PRIMA

GRATA FACIENS MENTE CONSERVARE

AVANCE

LECTORI BENEVOLO.

Febris puerperalis formas divertissimas, variis insuper adjunctas morbis, et in vivis et in defunctarum corporibus cognoscendi, quum mihi sæpius copia facta esset, ad gravissimam hanc in arte nostra materiam, nec dum satis percognitam pauca adferre pro viribus connatus sum. Non est absoluta in omni parte de hoc morbo monographia, quam hisce trado: nonnisi summam eorum, quæ e sectione corporum variorum cognovi, nexu quodam composui. Quod attinet ad physiologicum morbi hujus habitum, Schœnleinum nostrum, doctissimum illustrissimumque, qui ut in aliis, ita in hac præcipue scientiæ nostræ parte optime meritus est, secutus sum.

Quo minus autem diligentius et quæ scripta huc usque de hoc morbo extant, cognoscerem, et qua passim ipse cognovi, in opus magis perfectum conferrem, varia mihi fuere impedimenta. Unum hoc monuerem, otium mihi plane defuisse, quum ob aliarum rerum iniquitatem paucorum dierum spatio opusculum hoc perficere coatus essem. Quamobrem primitias hasce lectoris benevolentiae commendo, me exiguum tantum pro viribus meis, ad opus gravissimum momentum asferre potuisse, monens.

Vale.



Febris puerperalis quum in vivis tam varias præbeat formas et sæpissime aliis adhuc jungatur morbis, etiam dissecata pestifero hoc morbo defunctarum cadavera, varietates multas exhibitura esse, jam ab initio suspicandum est. Alia observabis, ubi major, alia, ubi minor erat vis morbi: alia, si cetera etiam corporis organa, ut caput, vel thorax vel abdomen affecta erant morbo, alia, si non: alia, si longius, alia si brevius duraverat morbus, alia, si hic, alia, si alius morbi fuit exitus in mortem, ut brevi comprehendam mortuum etiam cadaver mutatas præbebit formas ex quibus morbi decursum in vivo suspicari licet. Equidem summam eorum, quæ animadversa sunt in corporibus puerperarum, diversissimis hujus morbi formis defunctarum, componere suscepi. Ut vero integra in legentium animo oriatur passio, qualis etiam in corporibus defunctis expressa est, quæ magis et quæ minus perpetua sint in hoc morbi genere adjicere, pro necessario habui. Ex hac passione non minus, quam in vivo corpore decursum habuerit morbus, quam ex morbi ipsius observatione, quæ post mortem in cadavere futura sint mutationes, suspicare licet.

Quum nonnisi ad muliebrem hic morbus pertineat sexum, et in hoc ad gravidas tantum, vel abortivas, vel puerperas, hoc unum ante omnia apparet, præcipuas in genitalibus, ut vivarum, ita etiam defunctarum, quærandas esse morbi formas, ex quibus omnes aliæ proficiantur. Idoneum itaque videtur, de hoc primum disserere.

Tria sunt, quæ in dissectorum cadaverum genitalibus animadvertimus, Phlogosis, Phlebitis et Neurophlogosis; quæ vero nunquam genitalium systemate contineri, invenimus, sed magis, minusve etiam in systemate chylopoëtico diffundi, cum ei commune cum genitalibus si

involucrum serosæ peritonæi membranæ. Haud raro, etiam pleuram costalem et pulmonalem, et alia thoracis instrumenta, atque in cranii cavo et cerebrum, et quæ ei circumdantur membranæ serosæ, affecta esse, animadvertimus. Certus autem eorum, quæ in aliis morbo affectis observantur organis, cum iis; quæ in genitalibus conspiciuntur, consensus apparet, ut, si phlogosi affecta sunt genitalia, etiam alia ejus modi formas præbeant organa, si neurophlogosi, etiam, cetera ad hanc pertineant morbi formam. Pro multis unum stet exemplum. Viennæ 1833—34 hieme, quum in nosocomio febris puerperalis epidemia grassaretur, quæ in uno præcipue ægrotarum conclavi majore, quam alias, vi sæviens plerumque in neurophlogosin et putrescentiam uteri exiret, (pluvia enim erat et pro hoc anni tempore minus frigida tempestas) et plerumque, pulmones etiam affecti essent, omnibus eadem neurophlogistica inerat forma. Phlebiticos contra formæ et in phlogosi et in neurophlogosi erant; nec vero uterinas eas unquam exiissevenas, memoratur: malignior tum phlogosis et febris ad typhosastum inclinata erat.

I. P h l o g o s i s.

Duas animadvertimus species. Aut enim est

- 1) inflammatio pura aut
- 2) inflammatio erysipelaceo (erysipela juncta) in qua, dum vivunt agrotæ nunquam non species apparent gastrico-biliosæ et erisipelaceæ.

Quod a multis animadversum est post febrem puerperalem, cadavera defuncta non solitum exhibere torporem, et facile in putretudinem transire, sæpius invenies in forma gastrico-biliosa et typhosa, quam in inflammatoria pura, quæ etiam rarissima inter tres est. Uterus est auctus in magnitudinem solita majorem, vel, ut diligentius dicam, nondum in eam redit parvitatem, qua hoc post puerperium tempore elapso esse debet: alias pugni virilis, alias etiam capitis infantis æquat magnitudinem; substantia ejus cruore abundat (tumet), raro dura, plerumque aliquantulum, macerata est, præcipue in uteri collo et parte vaginali. In uteri cavo latera subrubra, magis, quam parenchyma; quæ interiori circumdata est planitieci membrana pituitosa, luculen-

tissime aparet, suffarcinata, et sæpe mollita; pituita ex ea secreta sanguinis lineis distincta, interdum etiam plane cruenta; eodem modo se habet membrana pituitosa vaginæ, ejus parietes et ipsæ atropurpureo suffosæ sunt colore. Ovaria et tubæ sanguine abundant: illa vel magis vel minus inflata et tumentia sunt, nec non raro in canalibus, usque ad caulis pennæ amplitudinem inflatis, pituitam cruentam ducunt. Genitalia externa subrobra sunt et tumentia, sæpe etiam œdematosa. Ante omnia autem peritonæum inflammationis offert signa; ita, ut jam sæpe omnis morbi natura in peritoniti quæsitæ sit. Nisi humoris copia major exsudata est, sububro est colore, magis pallido, quam subnigro, ita ut interdum etiam vasorum singulas distinguere possis reticulas; plerumque in suderioribus partibus rubor striatus est; in segmento inferiori magis æqualis in singulis partibus est color, in purpuram varians. Ubi raro post inflammata membranam major serosi humoris copia exsudata est, sæpe præter singulas virgas nusquam rubor inventus, interdum etiam plane abest, et tum uteri etiam substantia non abundat cruore, sed pallida est et sæpe sanguine caret. Ubi major erat inflammationis vis, humor serosus in abdominis cavo lymphæ exsudatis plasticis: quæ ut albi vel subrotundi vel oblongi in ea natent flocci, turbidus est. Ubi, quod non raro accidit, etiam in tota peritonæi superficie coierunt, et pseudomembranas effecerunt aliquot lineas crassas, singuli intestini orbes alii aliis adhærescere solent. Quin etiam fuerunt, ubi S. Romanum, ligamenta uteri lata, et ovarium in latere lævo situm tali exsudato plastico tenacitate aliqua agglutinata essent. Haud raro hæcce peritonæo abducta lymphæ granosam præbet speciem, peritonæo laxius arctiusve adhæret; interdum quasi leviter imposita. Ubi statim exsudatione facta defuncta est mulier, quæ effusa est lymphæ plasticæ copia, ut materiâ gelatinosa, apparet, colore flavo, laxè peritonæo imposita: ceterum hoc gelatum multo crassius est, quam si jam membranæ speciem induit, quod serius accidit. Ubi longius temporis spatium duraverit morbus, in exsudato hoc plasticis interdum, et raro singula sanguinis puncta virgæque, ut vasorum sese gignentium initia, reperiuntur. Humor, qui in abdomine reperitur, interdum alba est specie, lactis simili, quia multos lymphæ flocculos solotos continet. (Hinc error ille priorum ortus est, dein disquisitionibus chemicis refutatus, qui omne hoc exsudatum ex lactis dislocatione

nasci, credebant.) Est enim lactis flori similis, at adorem edit proprium, plerumque acidum, sero similem, multum continet albumen, prucas fibrinas; proprium illud acidum forsitan acido amnios simile est; itaque reactione acida est, dum lac calina, ab aliis exsudatis eo, differt, quod nihil natri continet. Si diligentius microscopo inquiras, globuli in eo apparent, sed non superficie splendida, spærica et plana, ut in lacte, at superficie iniqua, pervisque obsita gibbis. Humor exsudati multitudo a libra dimidia usque ad sex vel octo invenitur. At quo major ejus copia exsudator, eo minorem lymphæ coire copiam, et vice versa, equidem invenisse videor. Ubi major est copia, pellucidus est humor et clarus, ubi minor, turbidus et floccus.

Ubi lymphæ aliquantum coit, eadem etiam in uteri substantia invenitur, non vero membranæ similis, sed mollior, colore subflavo, et magis minusve purulenta vel puri similis et pure mixta: coagula efficit, quæ præcipue in uteri collo, et ea, qua lata ligamenta et tubæ inserantur, in uteri parenchymate coeunt et ejus fibras dilatant: simul uterus mollior apparere solet. Ejus substantia non est rubra cruore injecto, sed albida et flava, et raro jam dirumpi potest; molissima quidem apud uterios et in lateribus internis, in quibus membrana pituita jam tum sæpe adeo soluta est, ut ejus loco in uteri cavo pituita sordide cana, sæpe cruenta et purulenta inveniatur. Simul substantia uterina muscularis mollita est et sæpe rubro colore subnigro. Etiam in ovariis nonnunquam tales lymphæ floccos collectus inveni, quæ tum aucta et inflata erant, nec vero sanguine abundantia, minimi acus capitis, maximi nucis juglandis magnitudinem æquant. Interdum etiam lympham ita in parenchymate colli uteri collectam inveni. Nonnunquam et pus gignitur, quod vel in humore natat, quocum mixtum videtur, vel inter lympham collectam apparet. Uno casu S. Romanum, lata ligamenta et ovarium lævi lateris adhærebant et puasi cystin efficiebant, in quo puris coierat tenuis, liquidi et male olentis pœne selibra. Idem in substantia uteri reperitur, vel in lymphæ, vel circa eam circumfusum; vel passim in substantia, tum jam solito magis mollita. Tum etiam tubæ pus continent haud raro cruentum; uteri cavum purulentum fit, membrana pituitosa jam non distingui potest, sed in pulsem purulentam, male olentem, sæpe etiam cruore tinctam mutatur, simul parietes nunquam non mollita, in-

terdum et ipsæ aliquot linearum spatio in humorem illum purulentum, male olentem, præcipue qua placenta inserta fuerat, solutæ sunt. Tum uteri substantia jam dirumpi potest, et sum phlebitis formæ sese ostendere solent, de qua infra tractabitur. Idem etiam membrana pituitosa vaginæ tum patitur, cujus in lateribus interdum arrosiones et purulentationis vestigia cernuntur.

Accedunt ac hæc genitalium symptomata morbus alia organorum, quæ et ipsa affecta sunt. Inter alio sæpissime vesica, cujus tegimentum serosum semper peritonæi morbis et ipsum afficitur, hyperæmiæ sedes est: latera, etiam intus, subrubra, vesica ipsa vel constricta et vacua, vel inflammata est: in collo præcipue interdum invenitur spastice reclusa et multitudine urinæ turbidæ et sedimenta relinquentis dilatata. Interdum etiam intestinorum. et inprimis intestini majoris internum, ut et vesicæ, seroso humore impleta inveniuntur, tum quidem pallida, et humor collectus inter peritonei tegimentum et tunicos musculares est. Membrana pituitosa intestinorum, et stomachi in synochali febris puerperalis forma raro et ipsa morbo affecta est; plerumque autem hoc fit in forma gastricobiliosa vel erysipelacea. Abdominis venæ opaco turgens sanguine: hepatis, lienis, pancreatis nonnisi tegimenta serosa afficiuntur. Bis rarissimum vidi casum, ubi cartilage symphysis ossium pubis plane purulenta et symphysis ipsa usque ad unum vel unum et dimidium pollicem dilatata erat. Cartilaginis loco magna puris copia coierat, quæ, dum mollia sedimenta ad extus tolleretur, in vesiquam usque ad uterum inferebatur, et pœne selibram puris subflavi, tenacis efficiebat. Uno in casu Cystis aderat.

Creberrime accidit, ut inflammationis formæ, quas in abdomine animadvertimus, etiam in thoracis organis videantur: In illa epidomia, quo ut jam diximus, hieme elapsa Vienna grassabatur, hoc præcipue postremo tempore ubique fere inveniebatur, in pleura costali et pulmonali, in pulmonibus ipsis, interdum in pericardio, in cordo ipso et in vasis majoribus. In pleura humor exsudatur serosus, cujus multitudo vel selibram vel etiam tres libras æquat. Humor ille pellucidus est, colore subflavo, interdum etiam subrubro, sæpe etiam in abdomine floccis lymphaticis mixtus, ut in peritonæo quoque. In pleura, (et sæpius in pleura costali quam in pulmonali) lymphæ collecta invenitur varia densitate et crassitudine. Adsunt simul omnia ea, quæ

supra descripsimus, pleura simul aliquantum densata est et magis minusve vasis injecta. Quon si in pleura conspicitur, sæpissime peritonæum pallidum est et humoris in abdomine minor adest copia, quam alias solet. Interdum etiam lymphæ stratura et humor ille speciem præbet pure mixtam. — Ubi jam pulmonum substantia quoque inflammata est, in ea omnia ea invenies, quæ ex inflammatione organorum respirationis oriri, docet anatomia pathologica. Sæpissime nonnisi exterior substantiæ superficies afficitur et pars, quæ pleuræ pulmonali proxime subjecta est, aliquot linearum spatio densatur et inperspirabile fit. Simul cetera substantia sæpe nonnisi cruoris abundantiam continet; sæpe autem et plerumque fere humor etiam serosus accedit. Si magis progreditur morbus, inferiores lobi utriusque pulmonis inflammationis sedes fieri solent et splenisationis vel rubræ hepatisationis formes præbent. Haec vero nonnisi in quibusdam locis lobi inferioris invenitur, sæpe autem etiam totam ejus substantiam arripit: quodsi fit, substantia pulmonalis dissecata non rara granosam quandam speciem præbet: lobi medii sanguinis subnigri multitudine magna impleti, superiores seroso humore, nonnunquam spumoso et purulento, si qua tuberculi diffuentes, in eo reperiuntur. Tum etiam bronchæ et trachea spumosa hoc humore turgent, eorum latera magis minusve rubella, sæpe etiam membrana eorum pituitosa laxae sunt et facile detergi possunt. Si communi morbo etiam pericardium affectum est, serosi humoris pellucidi major minorve effundetur copia, interdum lymphæ floccis turbati; raro autem in lateribus lymphæ coit. Ubi eor etiam affectum fuerat, haec fere erant: musculorum substantia vel cruore abundans, vel languida et fragilis: cordis cavum vasorum ramos plerumque nigro impletos cruore præbet; majorum latere vasorum in interiori parte eo, demmodo subnigri cruore turgent, ut etiam venæ thoracis; et in cranii cavo venæ atque sinus nigro pleni sunt sanguine, haud raro in sinu longitudinali coagulato et fibrinis gelatis mixtu. Memoratu dignum videtur, quod observatum est cranii diploën nunquam non abundantiam sanguinis exhibere, præcipue ejus venis subnigro turgere cruore; haud raro venæ ipsæ dilatatae erant, varicosae, et circa hæc partes diploë mollita. In involuero seroso passim lymphæ effundebatur, raro in straturas coibat, etiam in latere interdum major minorve humoris pellucidi serosi copia

effundebatur. Exsudatum hunc homorem, quo longius membrana serosa ab inflammationis foco abesset, eo magis lucidum et tenuem esse et eo minorem partium animalium copiam complecti, Schönlein attulit. Cerebrum ipsum non raro sanguinis abundantiam exhibet.

Febrem puerperalem forma gastrico-biliosa, vel erysipellacea fuisse, suspicari licet, si hasce cadavera defuncta pessa sunt mutationes. Quidquid mutationum huc usque allatum est, etiam in tali cadavere invenies sed magis etiam expressum, ut jam diximus: simul humorum, qui ex pseudoerisi sequuntur, major exsudatur copia, sed minus abundans lymphæ plastica, itaque lucidiores sunt et serosiores; aliquando etiam peritonæum et pleura rubore carent. Ubi vero rubor adest, pallidus est et aliquantum subflavus. Apud omnes autem stomachi et intestini membranae pituitosæ et ipsæ morbo affectæ sunt. Rarus in his rubor, plerumque torus aliquis, immo mollities est nimia, ut interdum facile detergere possis: sæpe muco denso et tenaci tectæ sunt, qui in stomacho interdum canum habet colorem: Interdum etiam arrosiones in membrana pituita repertæ sunt, quæ ut puncta rubra apparebant, quum sanguis e locis arrovæ effusus muco admixtus iis adhæreret, qui, simulac aqua detergebatur, arrosiones lentis magnitudine animadvertiebantur, circa quas sæpe omnis membrana pituitosa deficiebat. Omne intestinum multam pituitam continebat et molles interdum fæces argillaceas: apud quasdam etiam glandulae conspiciebantur mucosæ loculenter explicatæ, et inflatæ. Organorum abdominis venæ, ut in toto corpore, subnigro sanguine valde impletæ sunt: hepar et lien sanguine abundant, eorum substantia etiam fragilis interdum est; fel bili tenaci et cujus color ex viridi subniger turget. Nonnunquam color icteri animadvertitur in epidermide, rarius icterus ipse invenitur, interdum autem tam gravis, ut omne corpus et ossa etiam humoresque croceo essent colore. Simul in mammis, partibus extremis et in facie erysipelas apparet.¹

Facile hæc forma, ut Schönlein animadvertit, in typhosam transit: tum Phlebiteos et immo Neurophogoseos uteri signa conspiciuntur.

Puerperarum, quæ febris forma typhosa perierunt, in cadaveribus præter ea, quæ apud formam gastrico-biliosam animadvertimus signa et quæ nunc vehementissima sese osten-

dunt, etiam Phlebiteos et sæpe etiam Neurophlogoseos signa conspiciuntur. Organorum venæ quam maxime turgent, humori antea in ventris thoracisque cavis secreto pus male olens admixtum; item si quæ passim conspiciuntur lymphæ straturæ, fere purulentæ sunt. In primis in vena Portæ et aliis abdominis venis pus reperitur, ex venis uterinis Phlebiti affectis ortum. Rubor, ubi adest, sordide subniger apparet: ita tubæ, subnigro rubore, in canalibus suis humoresvolvunt purulentos, male olentes, tabidos. Uterus mollitus facile derumpi potest; superficies ejus interior præcipue in collo et ea parte, quo placenta inserta, erat in pulsem sordide fuscam, male olentem mutatus est: vagina ex rubra subnigra: membrana ejus pituitosa plane soluta: mucus, ex ea et ex interiori uteri superficie oriundus, tabidus, male olent, sæpe pure et sanguine mixtus contagium fert hujus formæ — Uterus totus cum appendicibus putrescentiæ propinquus est, vel jam in eam transit: memoratu dignum videtur, quod Dr. Traut, prosector in theatro pathologico-anatomico, Viennensi in malignis febribus puerperalibus nunquam non animadvertisse sese refert, quod vero nonnisi in forma typhosa, si quidem neurophlogosin ostendit uterus, accidere videtur. Mollitur enim cranii tabula vitrea vel corticalis interna, suprimis in ossibus bregmatis vel in occipitis osse, ita, ut locis quibusdam vel cerasi spatio pæne soluta appareat, et facile dissecari possit. Diploë simul circa has partes vasorum et sanguinis multitudinem continet, et ipsa aliquantum mollita et ejus venæ varicose dilatatæ sunt. Interdum etiam his locis materia quædam alba, mollis conspicitur, ex qua fortasse hæc mollities oritur. Etiam intestini membrana mucosa in typhosa hac forma eadem patitur, quæ jam curravimus pituitam eo, quo diximus modo secernit, quibusdam partibus etiam arrosa est: In pulmonibus quoque et pleura costali et pulmonali, ut in cerebro, et ejus membranis vasisque, solutæ illæ conspiciantur mutationes vi quidem longe majori.

Quibus autem omnis hic morbus junctus sit malis, si queritur, ante omnia Phlebitis memoranda est.

II. P h l e b i t i s.

Hincce morbum creberrimum sæpissime febris puerperalis esse comitem, ex anatomia pathologica luculenter ap-

paret, quum in dissectis corporibus, ubicunque aliquantum mutatus erat uterus, venæ uterinæ Phlebiti plerumque affectæ conspiciantur. Ubi Phlebitis adest, perpetuæ sunt hæcce, sive synochalis, sive erethica, sive gastricobillosa febris forma antecesserit. Venarum lumen magis, minusve dilatatum vel, si levior est morbus, nonnisi subniger serosæ earum membranæ conspicitur et rubor et in earum cavo cruor gelatus, fibrarum coagulis admixtus. Ad hæc lymphæ in interiori membrana serosa coit, quæ ut etiam reliquæ venarum membranæ, densata et rugosa est: lumen venarum, quamvis dilatatæ sint, haud raro plane clauditur, lymphæ ita collecta, quæ aut leviter membranæ serosæ imposita facile detergi potest, aut intime ei juncta est. Præterea ut in abdominis membrana serosa, ita in intima venarum etiam membrana præter hanc lympham pus etiam gignitur, quod vel in lymphæ stratura et ei admixtum invenitur, vel liberum in venarum cavis et in membrana intima, etiamsi lymphæ deest. Haud raro pus etiam in exteriori venarum parte circa venas et in substantia uteri invenitur. Passim plane suppurare videntur venæ, quum in utero sæpe cava invenias, pure corrupto plena, quo diligenter remoto, sæpe maxima venarum ostia aperta conspiciuntur, omnibus phlebiteos signis distincta, quæ purulenta in hoc cavo exeunt. Verisimile igitur mihi quidem videtur, venæ parte quadam (forsan ea, qua curvatur) suppurata, tale in uteri substantia effici cavum. Phlebiteos symptomata, in venarum lateribus inventa, plerumque nonnisi in uteri venis conspiciuntur, quamvis pus etiam in venæ portæ cava inferiori et in aliis venis, raro etiam in hepatis parenchymate colligatur, in qua sanguine illatum esse videtur. De pure in venis invento, præcipue post metritin acutam, Louis et Andral scrutationes instituerunt: nostris temporibus Dauce multam huicce parti operam impendit. Is quidem apud plurimas mulieres, brevi post puerperium defunctas tempore, pus in utero, in ovario aliisque in venis, interdum etiam in pulmonibus, in liene, artubus, carne musculosa et in membranis serosis invenit. Quum jam antea, pus in illis venis reperiri, cognitum esset, Dauce pus illud non ex aliis hauriri instrumentis, sed in interioribus venarum membranis nasci et ex venis cum sanguine in illa ferri organa, argumenta dedit. Ceterum parte aliqua venarum irritata nonnisi eo, quod in venis contigua sunt, et ipsa affici posse illa organa, non est, cur neges.

In quibusdam Dauce eo tempore, quo pus cum sanguinis circuita in varia illa organa ferri videbatur, febris torpidæ symptomata animadvertit. Quamobrem equidem simulac Phlebitis, quæ in putrescentiam finit, accesserit, febrem vel torpidam vel typhosam vel nervolosam evadere, pro certo habeo. Ut jam diximus, in omni febris puerperalis forma Phlebitis nascitur, praecipue autem in typhosa, ut etiam dici possit, inde ab orta phlebíti typhosam fieri febrem. Neurophlogosin in utero nunquam sine Phlebíti animadverti.

III. Neurophlogosis.

Brevibus antequam ipse disseram, sententiam doctissimi Schænleini nostri de Neurophlogosibus, quam et ipse secutus sum, exponem. Arteriarum sanguinis motus auctus est: lumen autem non dilatatum nec nova gignuntur vasa. Venae sanguine abundanti surgunt et dilatatae sunt, nec vero aliae oriuntur venae. Quum etiam in exteriorum venis abundantia praevaleat partium, species aegroti caerulea et livida est. Id organum, quod neurophlogosi affectum est, ab initio omnem sanguinis circuitum ad se trahit; dein collabitur, sanguine evacuatur, et calor impariter in diversis dividitur partibus. Sanguis proprie mixtus est: facile gelatur, ad oxydationem proclivis, et in acerrimis quoque formis crusta phlogistica carens. Ubi secretionis organum afficitur, mutatos pluresque secernit humores. Nervos etiam affici, ex duobus apparet. Primum enim morbi symptomata certo quodam ordine succedunt, et febris facile in typum intermittentem transit. Dein saepissime vel nervorum vel sanguinis paralysis oritur, quarum posterior nunquam non gangraena juncta est. Reactioni accerrimi communae mox lassitudo succedit: tum sensu communi vehementer affecto hominem robustissimum quemque ingens debilitas et languor aggreditur: Certo temporis spatio cursum perficit morbus, certa insuper stadia habens, ut stadio irritationis stadium secretionis novarumque formarum et ei stadium paralyses s. criseos succedat.

Semper adest febris plerumque torpida, interdum, at non nisi initio morbi, erethica et inflammatoria ejusque typus primum intermittens, dein in remittentem et postremo in continuum transit. Urina quum sedimenta non faciat,

nec omnino affecta malo, frustra ex eo de morbo aliquid cognoscere canaberis.

Sectionis hæc fere ostendit. Organi affecti venæ dilatata sanguine abundant; hinc color subniger, sordide ruber, qui eo magis deficit, quo major lymphæ copia secernitur. Aucti in magnitudinem insolitam organi tela textura macernata, quamvis levissime tacta diffluit: Secretis in humoribus propriæ insuper oriuntur massæ et nervi simul mutantur.

In utero igitur hæc animadvertimus: venæ jam, antequam phlebitis orta sit, sanguine turgent: uteri substantiæ omnis natura mutatur: mollita enim, aliis partibus facile dirumpi potest, aliis plane in pulvem fuscam, male olentem soluta est. Etiam si minus moluta est, in labiis tamen et in collo usque in fundum facile dirumpitur et interior cavi superficies cum membrana pituitosa in unam soluta est materiam. Simul superficies exterior subnigro rubore in cæruleum et sordide fuscum variat colorem. Substantiæ pars nondum morbo affecta alba est, passim collecto pure et lymphæ texta et ejus venæ Phlebiteos signa supra memorata exhibeat. Ovaria, et ipsa sanguine turgida et colore ex rubro in cæruleam variante sunt, ut et tubæ, quarum in canalibus humor fuscus, maleolens, corruptas invenitur. Si magis mollitus est uterus substantia, præcipue colli (ea quidem sæpius, quam corporis), in nigram, pessime olentem mutatur pulvem, interdum spatio aliquot linearum usque ad colli uterini finem anteriorem, ceterum non affectum, alias in toto collo et in corporis quoque parte quadam. Si hoc est, partes uteri affectæ, quamvis levissime contactæ, diffluunt.

Hæc vero neurophlogoseos signa etiam in pulmonibus, morbo simul affectis, occurrunt. Tum proprius ille morbus gignitur, quem pulmonum gangrænam appellamus; plerumque nonnisi alterius, lævi pulmonis inferior lobus afficitur; virgis viridibus, cæruleis et rubris distinctus, tactu firmus est, dissectus non crepit, at humoris tabidi, male olentis multitudinem effundit. Pleuræ tegimentum tam molle esse solet, ut digito detergi possit. Circa omnem hanc partem textura pulmonalis mutationem patitur, mediam inter Hepatisationem rubram et Oedema. Interdum etiam inferiore pulmonis lobus plene hepatisatione rubra affectus erat et uno hoc loco diligenter circumscripto textura ex viridiflava, quum aliquantum firma adhuc videretur, contacta in pulvem male olentem diffuens in substantia hepatisata cavitatem efficiebat.

An serum etiam, sæpe rapiditate quadam in cerebrum effusum, ex neurophlogosi oriatur, vix distinguem: tabula vitrea quomodo afficiatur in neurophlogosi, supra diximus. Præterea cadaverum, quæ dissecata neurophlogosi ostendunt, in epidermide miliaria alba conspiciuntur, interdum etiam petechia.

Memorandi adhuc videntur abcessus metastatici, qui plerumque ex oppressa lactis secretionem orti graves in exterioribus corporis partibus turbationes afficiunt, sæpe etiam oculum alterum corrumpunt. Ubi formatyphosa malignior erat interdum celerime in gungrænam transeunt, fragem ingentem faciunt.

THESES DEFENDÆ.

1. Mors corporis mors animae.
2. Adspectu fetui vitium (deformatio) inferri non potest.
3. Venae non resorbent.
4. Medicamenta vegetativa metallicis praeponenda.
5. Venaesectio saepe roborans.
6. Synchronotomia omnino rejicienda.
7. Ars obstetricia, exceptis sectionibus, a feminis exercenda.
8. Trepanatio, dura matre et cerebro vulneratis, rejicienda.
9. Pessimus hydrocephali acuti exitus sanatio.
10. Nulla vita sine feбри.
11. Corpus hystericarum aequale fidibus, chordis turbatis.
12. Morbi psychici non ad philosophorum, sed ad medicorum solum pertinent.

